DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

PUERPERARUM FEBRE

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, QUÆDAM DE PUERPERARUM FEBRE COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

PETRUS ASHTON,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Sod. Edin.

Soc. Phys. Chirurg.

Obstet. Chirurg. Soc. Hon.

Et

Ejusdem Praeses Annuus.

Such are the Shafts the fierce Ilithyiae send.

POPE, *Translation of Homer's Iliad.*

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

HENRICO CULLEN, M.D.

F. R. S. EDIN.

Nosocomii Regii Edinensis Medico,

Viro,

Humanitate et benevolentia insigni,

Erga aegros et indigentes feliciter exercitis;

Ob beneficia multa in se collata:

Nec non

JOANNI WATKINS,

ARMIGERO,

Animo maxime benigno praedito;

Sicut haud pauci,

Et praecipue aetate teneriores,

Experti ſunt;

Denique,

JOSEPHO DAINTITH,

ARMIGERO,

Dilectiſſimo ſuo amico,

Vitae integerrimo,

Qui erga cunctos, morum ſuavitate,

Summum omnium amorem conciliavit,

Apud Rigodunum,

In agro Lancaſtrienſi,

Degentibus;

Haſce ſuorum ſtudiorum primitias

Obſert

PETRUS ASHTON.

Dr. Caldwall
with Compts from
his humble Servt
P. Ashton

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

PUERPERARUM FEBRE

COMPLECTENS.

PROOEMIUM.

MULTA jam antea de hac febre prolata fuere; et in eandem, haud obſcuri nominis auctores, ingenio acri natura praediti, atque ſcientia multa et varia imbuti, laborem impenderunt non levem: Nempe, ut magis idoneam redderent hunc

 morbum

morbum curandi rationem; et insuper, quia ipse, ex omnibus, qui forte partum insequantur, maxime periculosus est habendus. His igitur rite perpensis, me aliquid novi ausurum esse, certe expectabit nemo. Nihilominus, quia non pauca me impellunt, ut, aliqua saltem cura, ad hoc malum animum intenderem, quippe quod, fere quotidie quemvis artem medicam exercentem offendit, et ejus non levem curam merito postulat, ideo aggressus sum.

Ut autem solito more hoc prosequar, incipiendem est ab ejus

HISTORIA.

Secundo plerumque post partum, aut incipiente tertio die, suos ortus ostendere solet hic morbus.

Ejus

Ejus invaſio nequaquam certa eſt habenda, aut uniuſmodi; etenim non deſuere exempla ejuſdem intra quatuor et viginti horas poſt partum ſe in conſpectum proferentis; quanquam interdum non niſi poſt quatuor aut quinque dies; imo etiam non ante duodecimum * forſitan conſpiciatur.

Initia ejus comitantur frigoris, extrema corporis perſtringentis, ſenſus, ingens debilitas, languor, nauſea, alia ſigna, iis, quae febris intermittentis ſtadio frigido adeſſe ſolent, non abſimilia; quodque, in hac, aeque ac illa, calidum excipit.

Stadio in hoc, dolore valde moleſto non vacat caput; illo autem ſinciput praecipue laborat: eodem vero regio hypogaſtrica, eaque pubis, ſuper omnes alias partes, torquentur; atque latius deinceps ab iſtis ſe hic dolor extendens, totum abdomen occupat, et ejus tegumenta tam exquiſite ſentientia

* Home.

tientia reddit, quod aegrae ex tactu etiam leviſſimo cruciatus, vix quidem tolerandus, infertur: Interea plerumque pulſus arteriarum ſubmiſſi et exigui evadunt, at celeriores; quamvis in plethoricis duri, et fortes; iidem revera ſub morbi initiis vix mutantur; ſed, progrediente eo, et crebrius arteriae micant et pleniores, atque magis diſtenſae digitum offendunt. Calida plerumque cutis et ſicca; in quibuſdam, lingua uſquedum jam provectior ſit febris, nequaquam, quod ad ejus ſpeciem, mutatur; at poſtea fere ſemper arido quodam, fuſco, aut nigreſcente obducta conſpicitur; in aliis vero, uſque ab inchoante febre, arida eſt; et urget ſitis vehemens. Cito poſt aggreſſionem mali, dyſpnoea angere incipit; laboratque, plus minuſve, reſpirandi facultas; ſpiritus autem vix aut ne vix ſtrepens eſt; hocque incommodum, ſimili ratione, ac abdominis dolor, augeri videtur; dyſpnoeam anxietas, et oppreſſio circa praecordia, inſequuntur; et quo violentior morbus, aut diutius

diutius mansit, eo magis infirmum corpus. Istis ex causis non solum ampliatur abdomen; sed inducitur vomitus ejusdem materiae viscidae, subviridis, aut subflavae, molesta alvi proluvies, et tenesmus valde inquietans, faeces nec non quodammodo simulant materiam vomitu ejectam; et nonnunquam tam insigniter putridae et male olentes dicuntur fuisse, ut etiam alias contagione inficerent *.

Plerumque, per paucos dies urina parca est, nec sine difficultate redditur; color ejusdem nequaquam semper idem; rubella est enim fere sub morbi initium, eoque provectiore adhuc, rubrior fit, et aliquando fuscum sedimentum deponit. Haud raro nec quantitate nec qualitate lochia mutantur, subinde autem nigra profluunt et foetent; aut etiam omnino deficiunt. Similes quoque mutationes lactis secretio subire videtur; nam in quibusdam minuitur; prorsus

* White.

ſus in aliis ceſſat ; porro, in aliis per totum morbi progreſſum permanet, et etiam, cum mors, non niſi paucarum intervallo horarum diſtat. Tanta fere ſemper anorexia adeſt, quod, omnia praeter acida et aquam gelidam, aegra faſtidit.

Quum jam febris per paucos dies perſtiterit, inflammationis ſigna plerumque leniora fiunt, et omnia ad putredinem magis prolabuntur. Hoc tempore, ſi non incipiente morbo, bilioſa aut putrida diarrhoea ſupervenit, et deinceps non ceſſat ; at eam, ſicut monuit celeberrimus Home, non niſi ſymptomaticam eſſe opinor. Sorde quadam fuſca et tenaci obtecti fiunt dentes: vibices, petechiae, aliaque ejuſmodi, ſe manifeſtare incipiunt: ſuper collum primo, et ad mammas, at poſtea per totum corpus, conſpiciuntur ; non tamen, prorumpentibus iis, aliqua ex parte, lenitur malum.

Dolor

Dolor nunc acerbus, nec ceſſans ſincipitis exagitat, et pervigilium valde inquietum.

Iſta peculiaris anxietas, quae etiam a morbi initio contriſtabat, augetur nunc; oculi non amplius ſolito ſplendore micant, ſed omni hora magis atque magis languidi fiunt; ſi quando aegra (parum vero inde reficienda) aliquandiu obdormiſcat, non ſolito more clauduntur palpebrae; nares quoque latiores evadunt; in genis circumſcriptae maculae caeruleae, vel quodammodo rubrae apparent; labia liveſcunt; faeces et urina, inſcia aegra, profluentes, et ſudores viſcidi, quaſdam ſolummodo partes humectantes, lethum jam adeſſe indicant.

Juxta hoc tempus abdomen non ſolum maxime tumet, ſed nonnunquam colori ſubviridi eſſe, aut etiam nigreſcere * incipit.

Paucis

* Tiſſot.

Paucis ante ſupremam horis, dolores in eo prorſus ceſſant; unde forſan miſerae et ſuis aliquid ſpei oboriatur; fallax autem iſta; cito enim ſubſultus tendinum, delirium, et ſingultus arripiunt, et mors propero pede inſtat.

Vertigini, quae hunc morbum comitari ſolet, hoc fere peculiare eſt, quod ab ea nunquam niſi, quum non multum diſtat ultima hora, delirium inducitur.

QUÆ INCISA CADAVERA MONSTRARUNT.

Ex quidem cadaveribus inciſis, morbi nullius minus quam hujus retecta eſt natura: Iſta enim, quae ſe in conſpectum edunt, tantum referunt, quae inflammationes

nes caeterae linquunt, quod ubi hujus ſit ſedes, qualiſque natura, non ita, ut animus expleatur, colligere aliquo modo poſſumus. Abdomine inciſo, aëris male olentis aliquid prorumpit ; latex necnon foetens, et quodammodo flavus, in eo fluitans reperitur, largior parciorve. Inteſtina, ſecundum Leake, et alios, qui iſta, quae cadavera hoc morbo peremptarum monſtrarunt, praecipua attentione animadvertere, plus minuſve inflammata conſpiciuntur, aliquando ad ſuppurationem uſque progreſſa, aut etiam gangraena correpta. At non erudito noſtro Home placet hoc ; aſſeverat enim, inteſtina leviter et ubique pariter inflammari; aut, ſi aliquid diſcriminis ſit, iſtam omenti partem, quae inteſtina adjacet, praecipue affectam fuiſſe obſervatam.

Ovaria nunc admodum rubentia, nunc indurata fuere reperta, aut nonnunquam in gangraenam ferme lapſa *. At quia abdominis

* Home, et Med. Com. vol. 4th and 7th.

minis viſcerum tot inflammatione afficiuntur, iſtae adhaeſiones, quae, inciſis cadaveribus, ſe oſtendunt, tali origini ſunt aſcribendae. Uteri conditio vix mutata invenitur; nec ipſe morboſus quodammodo fuiſſe videtur.

Inflammationem huic morbo nunquam deeſſe, imo ab eadem ſubinde ipſam pleuram non immunem fuiſſe, nos ſolers J. Hunter certiores fecit.

CAUSÆ OPPORTUNITATEM INDUCENTES.

Multum mutationis inter geſtandum ſubire corpus muliebre, auctamque irritandi facilitatem graviditati ſemper adeſſe, nauſea, vomitus, mammarum glandulae tumentes,

mentes, leviſſima quaevis multum et longe praeter ſolitum conturbantia, magiſque adhuc inter parturiendum, luculenter monſtrant. Ut talem irritandi facilitatem huic morbo gignendo praecipue favere probaretur, argumento fuit eas, quae parturientibus ſubminiſtrarunt, ſi gravidae ſint ipſae, non ante, ſed poſt partum, hoc malo corripi *; hincque revera, vix quare dubitaremus erit locus, graviditatem et partum inter cauſas, quae mulieres huic malo opportunas reddunt, praecipuas eſſe.

CAUSÆ EXCITANTES.

Hae quidem forſan variae et multae ſint: praecipuae vero, et maxime inſignes videntur

* Leake.

dentur eſſe, aër diu incluſus, et aurae non ſatis cubiculum perflantes; omnia, quae diatheſin phlogiſticam inducant, ut cibus ex carnibus confectus poſt partum nimis cito aut large ſumptus, atque liquores meraciores; aut, ex altera parte, hujuſmodi cauſae ſint, quum diutius lecto affixa fuerit puerpera, victus parcus, contagio aut miaſma putridum, in Noſocomiis quae tam ſaepe gignuntur; quaeque, etiam, aliter ſe rebus habentibus, ad febrem inducendam forſitan ſufficerent; frigus, praecipue ſimul cum madore, corpori applicatum, nimius calor, utcunque admoveatur, evacuationes immodicae, praeſertim ſi ſanguinis profluvia ſint; abdomen ligamentis nimis arctis conſtrictum; pravum obſtetricis ſtudium; et poſtremo aliquid acre, bilioſum, aut putridum a tubo alimentario, utero, aut vagina abſorptum: Iſta enim omnia ſufficiant ad talem humani corporis conditionem gignendam, qualis, cum cauſa, quae opportunitatem inducit, conjuncta, hunc noſtrum morbum

morbum excitet: adjiciantur autem varii affectus animi, anxietas nempe, moestitia, ira, &c.; hi enim omnes, praecipue, si antea ad hunc morbum valde proclivis fuerit mulier, inter causas excitantes merito enumerandi sunt; inde ratio exoritur, quare innuptis haec febris tam saepe contingit, tamque infesta est.

Idem vero malum saepe a quibusdam mutationibus, quas, nostram effugientes industriam, nec a nobis detegendas, subit aër, promoveatur; et quando epidemicus quivis grassatur morbus, novas acquirit vires, et exasperatus valde letho dat plures: hincque in Nosocomiis saepius; alibi, et in libero aëre rarius, se obviam fert.

NATURA MORBI.

Ad hujus quidem mali naturam aut indolem explicandam, quod aut aliquo modo ſufficiat, aut indaganti ſatisfaciat, me penes nequaquam eſſe proferre, fatendum hic. Omnia, quae varii, variis temporibus, de hac re excogitarunt, etiam obiter percurrere, quia eorum pleraque tam ſaepe, tantiſque argumentis refutata fuere, quod vix aliquid de iiſdem adnotandum reſtat, ſupervacaneum eſſet: nil igitur noſtrum eſt, niſi ut iſta, quae magis veriſimilia videntur, perpendamus, et, quantum cuique fidendum eſt, explorare conemur. In tria autem redigantur ea, quae morbum excitare videntur, viz.

1*mo*, Lochia ſuppreſſa aut retenta.

2*do*, Lac alibi transfuſum.

3*tio*, Inteſtina et omentum inflammatione correpta.

Quia humores plerique, poſtquam diu in ſuis receptaculis, aut ductibus excernentibus fuerint commorati, acriores fiunt; lochia quoque, et lac ſimili ratione, diu retenta, huic febri excitantibus cauſis eſſe, exiſtimatum fuit; opinor autem aliquid hujuſmodi, vix aut ne vix quidem accidere poſſe; febrem enim puerperarum ſaepe multo citius, quam talis mutatio contingere poſſet, invadere reperimus; et inſuper ſaepe haud adorta eſt, etiam quum non defuit cauſa, ſi ex his principiis ratiocinaremur, quare ejus invaſionem expectaremus.

Lochia nec ſemper, nec certis et definitis temporibus, profluere, ſupra in morbi hiſtoria

hiſtoria memoravimus; nunc enim a ſanitate non aliena ſunt, juſtaque eorum copia; nunc parca, aut putrida; aut ſubinde penitus etiam, morbo jam haud paulum provecto, ſuppreſſa. Hoc igitur, aut cauſam ſolam, nullo modo febrem puerperarum inducere poſſe, non dubitandum manet.

Nec magis veriſimile videtur, hunc morbum lacti extra propria vaſa effuſo aſcribi debere; ſimiliaque objicere licet: quippe haud raro invadere, an haec ſecretio fuerit ex ſolita conditione mutata, an aliter, compertum eſt.

Inteſtina vero et omentum, inflammatione correpta, eſſe proximam habenda cauſam, multum dubii, quantum ego proſpicere poſſum, ſecum adferre videtur; ſi etiam talis opinio, non aeque ac caeterae duae, repudianda ſit.

Ei qui praecipue favent, uterum recta post partum ad se contrahendum solicitari admodum, primo contendunt; indeque principium desumpserunt; scilicet, ut istud organum solitam suam formam et magnitudinem recuperet; quiaque nunc non amplius, ut in se tali copia sanguis infundatur, quali antea, postulat, qualemque inter gestandum accipere solebat; hinc, aiunt illi, sanguis alio ex necessitate derivatus, in ista vasa irruit, in quibus ei minime obsistitur, nempe omenti, et intestinorum: illa autem recta nimiam distensionem patiuntur; eaque distensio, opinantibus iisdem, huic morbo originem praebet.

Attamen, gestatione fere jam ad finem perducta, quumque partus quasi instabat, omentum fuisse vulneratum, nec tamen aliquid hujusmodi malum exortum accepimus; et hinc quodammodo probatur, talis affectionis causam solam morbosum omentum non esse *. Febrem necnon eandem

* White, p. 412.

haud raro profluvia magna, quae poſt partum contingere nonnunquam ſolent, inſecutam eſſe non negari poteſt; quando nempe ita res ſe habebant, ut vix credi poſſet, omenti vaſa nimis diſtenſa eſſe: ſi praeterea vim contrahendi, qua uterus gaudet, prima in graviditate, quam iis quae forte ſequantur, majorem eſſe concedatur (atque revera ſubita ejus contractio, et dolores aut nulli, aut leniores, qui primum partum ſequi ſolent, tali opinioni favere videntur), nonne ab iſtis, quae nunquam antea Lucinam expertae ſunt, haec febris maxime timenda? nonne periculi aliquid, ne eadem paracenteſin ſequeretur quoque?

Apud omnes conſtat, eadem ſe in putridis febribus, quae lethum inflixere omnigenis, ſigna ſe manifeſtare *; atque exinde obſtatur, quo minus nos in hac, quae utilia ſint, quod ad veram ſedem ejus et naturam,

* Sir J. Pringle, Cleghorn, and Lind.

ram, colligamus. In partibus corporis diversis nonnunquam aliquid, quasi crisin, adferens *, deponi videretur; exindeque signa omnia manifesto mitescere observata sunt: at exempla hujusmodi non nisi raro obveniunt, nec semper depositum tale morbum prorsus fugat. Collatis igitur his, opinionem congestionem sanguinis in vasis omenti, et intestinorum, ibi inflammationi originem praebere, indicantem, magis phantasticam esse, magisque a contemplatione sola pendentem, quam ut magna fide digna habeatur, existimo; etenim ipsae res eam non satis suffulciunt, nec cadaverum incisiones eandem cum vero stare testatae sunt.

Erysipelas illud, quod, decedente hac febre, prorumpere solet, ut *symptomaticum* solummodo recensendum esse opinor.

Non absonum videtur (ut ista claudam) hunc morbum una cum iis, quibus a doctissimo

* Leake, Home, Med. Com. vol. 3d and 4th.

tiſſimo noſtro Profeſ. Cullen *, inditum eſt nomen *Synochus*, recen eri; ille enim, quantum ego dijudicare poſſum, ab iis non aliter diſtinguendus eſt, quam quod puerperas praecipue adoritur; ſi igitur mihi eundem definitione ſignare liceret, vellem ut nuncuparetur, "ille ſynochus qui puerperas prae caeteris infeſtat."

Hujuſmodi enim aliquid non longe a vero abhorrere quodammodo teſtatur modus, quo incipit, progreditur, et deinceps tantum feſtinat uſque. Incipiens enim inflammationem tam ingentem ſecum adfert, quod clare ſanguinem detrahi poſtulat; quandocunque vero, ſecundum illuſtriſſimi Cullen diviſionem, jam *ſynochae* formam induere debet, ſignis iſtiuſmodi, diei unius intervallo aut biduo, retro cedentibus, tantum putredinis ſuperinducitur in omni corporis parte, quod affectio exinde prorſus *typhum* ſimulat.

DIAG-

D I A G N O S I S.

Hic nil aliud neceſſarium eſt, niſi ut percurramus paucos iſtos morbos, inter quos, et puerperarum febrem, quaedam ſimilitudo intercedit: ita ut, quamprimum haec fuerit orta, et eam accuratius dignoſcamus, et eidem quam celerrime obviam eamus. A doloribus iſtis, qui partum inſequi ſolent, malum, de quo hic tractatur, moleſtia abdominis, valde gravis et inquietans diſtinguet; nec non in hoc dolor nunquam omnino quieſcit. A febre vero, quae *lactea* nominatur, haec noſtra diverſe ſe habet, quod in ea non diſtenduntur et tument mammae; quodque dolores circa pectus et lacertos, *huc et illuc proſilientes*, non adſunt. In eadem vero non, ſicut in *miliaria*,

aria, prurit cutis; nec eruptiones, quae in illa crisin adferre solent, in hac aliquid tale praestant.

Alvus vero, puerperarum febre ineunte, fere semper adstricta, an cholera invaserit, an aliter, vix unquam non indicabit. In hysteritide vero, quae multo magis quam caeteri morbi puerperarum febrem simulat, dolores non nisi in utero ipso et femoribus persentiuntur; in hac vero praecipue in ventriculo et intestinis: in illa aliquantulum tarda est alvus, in hac soluta: ex tactu autem non dolet uteri os, nec in ejus initio delirium exagitat. In nostra quoque, latius quam in Enteritide dolor se diffundit, nec solam umbilici regionem arripit; nec denique in ea, sicut in altera, pertinaciter adstricta est alvus.

PROGNOSIS.

Crisis plerumque inter quintum et undecimum diem contingit: et quo diutius protrahitur, eo melius de vita servanda sperare licet; quamvis revera non pauca huic contraria obvenere.

Quo serius necnon post partum hic morbus aggreditur, eo meliora augurare licet: inter omina, non solum non infausta, sed felicem eventum praedicentia, recensentur alvi dejectiones lenes, doloremque minus acutum reddentes; urina fuscum sedimentum deponens; magisque adhuc, si lochia, aliquandiu suppressa, iterum profluere incipiunt, sique lactis secretio, eodem tempore, renovatur: si vero abdominis dolor gradatim

gradatim decedit, ſique poſtquam alvus jam aliquandiu fuerit laxata, lenis ſudor ubique per corpus eliminatur; porro, ſi vomitus, anorexia, et alia ſigna, quae febrem comitabantur, evaneſcere incipiunt, tuto optandum exitum praeſto eſſe expectare licet.

Si autem, contra, abdomen non detumet, cum jam alvus dejici incipit; atque inſuper ab arteriis ſubmiſſius, debilius, et crebrius micari incipit; ſi necnon inter ſpiritum alternandum conſtrictione quaſi moleſtante angitur et laboratur; ſique vires admodum deficiunt, petechiis interea erumpentibus, faecibuſque nigreſcentibus et male olentibus dejectis; periculum haud leviter timendum aegrae imminere certum eſt: at, ſi abdominis dolores ſubito ceſſant, dum arteriarum ictus adeo crebri ſunt et exigui, ut non numerari poſſint; faeces, invita aegra, prolabuntur, materies ſubviridis aut nigreſcens vomitu egeritur, viſcoſi ſudores et frigidi corporis extrema occupant, et genis

livor

livor inſidet, urget non diutius evitanda mors.

PROPHYLAXIS.

Iſtis, quae in utero geſtant quam alvus adſtricta, nil magis periculoſum; nec in quod minorem multi medicinam exercentes curam impenderunt; quamvis ab omnibus conceditur, eam iſta incommoda, quibus obnoxia eſt praeſertim gravida mulier, multo magis numeroſa, ſaeviora, et magis pertinacia reddere.

Atqui huic malo optime occurretur, caute uſurpando iſta remedia, quae quidem ſola aegrae conditioni conveniunt; laxantia nempe clyſmata, ut ol. ricin. commiſtum cum aquae et gallici ſpiritus aequalibus partibus;

et ea, quae leniter dejiciunt; non vita omnino iners et ſedentaria puerperae debet eſſe; ſed illa potius crebro ad exercitationem levem, et jucundam, in aëre puro, et ſub ſereno Jove, allicienda. Sedulo quoque evitandae ſunt iſtae animi affectiones, quae conturbent, nimiſque commoveant: ſit cibus nutriens, et concoctu facilis: conveniunt laxa veſtimenta, modice craſſa; quibuſque mulier aſſueta fuit.

Si nauſea, vomitu, et hyſteria laborat, et per noctem irrequieta vigilat, opii aliquantulum caute uſurpatum, inſigne commodum adferat: ſi vero nihilominus irritandi facilitas ubique corporis augeſcit, ut morbo, ne inſequatur, obſtemus, ad corticem Peruvianum, aut aquas, quae per metalli venas fluxerunt, noſmet recipere oportet: in frigidum quoque balneum ſubinde, per totum geſtationis ſpatium, deſcendere, optimos nonnunquam praeſtitit effectus: videturque, quod idem remedium, ni aliquid obſtet,

nequaquam

nequaquam inefficax esse ad istam proclivitatem, quae semper partui adest, morbum concipiendi, sistendam. Insuper, ne in corpore plethora inducatur, sedulo cavendum est.

Cum vero jam parturiit mulier, et peracta fuere omnia quae saluti ejus necessaria existimentur, absit quaecunque turba; aegra servetur, quantum fieri potest, placida; et mentis et corporis quies sit, ut somnus ei per aliquot saltem horas concilietur: nec interea parvi est, ut cubiculum quam maxime sit mundum et nitidum; victus nunc constet ex iis quae refrigerent, quaeque a plantis parata, potius quam a carnibus animalium confecta, ventriculum non onerent; libere ei permittendus frigidus potus, et praecipue liquores, quibus immiscentur acida, et aliquid antisepticum.

Hic quoque, ne adstricta fiat alvus, sedulo cavendum est, quodam medicamento leniter

leniter ſolvente mature uſurpato, ſive per anum injiciatur, ſive aſſumatur ore. Convenit quoque, cito poſt partum, ut aliquantulum erigatur puerpera, et uberi cito admoveatur infans.

Nunc praecipuae cauſae, quae fortuito contingant, evitandae, animi nempe vehemens perturbatio, et nimium frigus temere admiſſum: at mundities connixe inculcanda *.

Necnon

* Sequentia a Pew de hac re citavit Van Swieten: " Obſervata fidelia confirmaverunt, putrida haec miaſmata nocuiſſe puerperis, dum in Noſocomiis decumbebant: magnus enim illarum numerus peribat; et ſuſpicari coeperant Noſocomii Praefecti, ignorantiam aut negligentiam obſtetricantium in cauſa eſſe. Plura ſecabantur cadavera defunctarum, et corporis interiora abſceſſibus plena fuerunt inventa. Sapiens medicus, omnia attente examinans, hanc cauſam invenit, quod ſub conclavi puerperarum decumbunt vulnerati. Confirmabatur ejus ſententia " inde

Necnon aër libere cubiculum perflet; nec tumultus adſtantium, ut ſolent eſſe, ſtudia aut officia permittenda.

Nil enim certe magis abſonum eſt, quam iſta multorum medicinam facientium prava conſuetudo, puerperas a ſe curandas, variae voluntati aut praejudiciis muliercularum, quae ſaepe nil norunt niſi turbae, commodo ſine ullo, ſe immiſcere, ſubjiciendi: quamvis revera vix aliquis id, quod moroſum aut rigidum eſt, laudabit; atque hujuſmodi omnibus, ita ut puerperae periculum non adferamus, indulgendum; etenim certe parturiens

" inde imprimis, quod, aucto vulneratorum decum-
" bentium numero, creſceret puerperarum ſtrages;
" minuto pariter decreſceret. Aër humidus tam ca-
" lidus quam frigidus nocebat; ſiccus autem prode-
" rat; notum enim eſt, humidum aërem putredini fa-
" vere, praecipue ſi ſimul calidus fuerit. Dum au-
" tem puerperae locabantur in conclavi inferiori, non
" obſervabatur amplius haec ſtrages: aër enim putri-
" dis exhalationibus imbutus, levior eſt; unde ſuperi-
" ora petit."

turiens ſolicita cura, blanditiiſque cunctis tractanda eſt; et ei, procul dubio, quodcunque Lucinae labores magis tolerandos reddat, facile concedi debet.

Quandocunque inſignius eſt periculum, immodicum omne ſedulo evitandum eſt; aliquid enim tale pejora ſemper inducere ſolet. Placentam igitur vi avellendi morem vix aliquis non damnabit; ille enim non ſolum crudelis, ſed etiam periculoſus eſt; et hodie propterea ab omnibus fere repudiatur; raro enim talis uſus neceſſarius; et ſi quando poſtulari viſa fuerit talis operatio, ideoque uſurpata, ut iterum inſtitueretur, eventus non ſaepe ſuaſit. Si vero unquam prorſus neceſſarium fiat hujuſmodi aliquid aggredi, vix noſmet, quod ad illud, excuſare licebit, niſi ſaltem per temporis aliquantulum, anteaquam ad id confugimus, quid opiata proficiant, tentaverimus; ut et quid ligamentum abdomen leviter primo, at deinceps paulatim magis comprimens;

mens; gratia nempe utero ſe exonerare conanti aliquid auxilii praebendi. Si autem contagioni ſit objecta aegra, quodcunque ejus vires nocivas minuat et leniat, aut denique, ſi fieri poteſt, inertes reddat, ſedulo nobis uſurpandum: huicque conſilio reſpondet praecipue cortex Peruvianus, aquae metallo quodam tinctae, exercitatio non vehemens, quique victus corpori robur et vires impertiatur. Inter autem haec, maximi eſt momenti, ut quodcunque ad partum pertineat, quam ſimpliciſſimo more peragatur; ut ex uberibus tempore, et ordine debito, exugatur; ut alvus non aſtringatur; et, ut ſupra memoratum eſt, aurae cubiculum perflent: his enim rite obſervatis, non ſolum lenior reddatur hicce morbus forſitan, ſed, quantumcunque metuendus ſit, ne unquam invadat prorſus obſiſtatur.

Quando nimia profluunt lochia, infuſio corticis Peruviani et roſarum rubrarum, cum elix. vitr. acidi tanta copia, quanta

ta hauſtum non prorſus ingratum reddat, commiſta; forſitan non inutile erit, ſi iſta, diutius retenta, acriora fuiſſe facta, quare ſuſpicaremur non deeſt cauſa, ut in uterum emollientia et antiſeptica injiciantur.

MEDENDI RATIO.

Varias opiniones, quae de hujus morbi ſublevandi rationibus fuere prolatae rem ipſam haud tantum, quantum forſitan expectaretur, provexiſſe dolendum eſt; rationes enim, ad quas quiſque ſeipſum recepit, theoriae potius, quam rebus ipſis accommodatae videntur: in duo autem conſilia dividi poteſt iſta, quae nobis ut maxime idoneam ſe obtulit, viz.

1*mo*, Ut diathefis phlogiftica, aut minuatur aut tollatur.

2*do*, Ut debilitati, et putredini infecuturae, obviam eatur: et interim, ut quae maxime urgeant figna leniantur.

1. Ut prima pars rite perficiatur, in ufu fit regimen antiphlogifticum oportet; et inter ea, quae huc fpectant, (fcilicet ut phlogiftica diathefis minuatur), praecipuum habendum eft fanguinis detractio: at quidem de ejus utilitate in hoc morbo nil certum in medicorum fcriptis proftat; quidam etenim venaefectionem prodeffe contendunt; alii vero eam inutilem et periculofam habent: quod ad meipfum, eandem raro, aut forte nunquam, convenire opinor; nifi quando mulieres vegetae, robuftae, et plethorae admodum opportunae funt; in quibus necnon inflammationis figna intentant valde; et etiam ne in iftiufmodi aegrotis, nifi fumma cautione, nifique res acriter impellant,

iterari debet. Quandocunque ſanguis detrahendus eſt, incipiente morbo id fiat; nec tamen largus ſit, ne non commoda, quae parcior adferret, ſed mala inde, inducta debilitate, oriantur. Apprime enim memoria dignum eſt, quod, quandocunque febres ſe ingentem debilitatem juxta eorum exitum illaturas eſſe minantur, ne ei faveamus, ſanguinis nimia detracta copia, cavendum *. Summatim, vix aliquid commodum haec exinanitio pollicetur; nonnulli enim morbum nunquam ab ea ſublevari aſſeverarunt; pulſum necnon, ſanguine miſſo, quamvis ipſe coriacea pelle obductus ſit, ſubmiſſiorem fieri: in hac febre igitur ſanguinem detracturi, quomodo ſe res habeant, multa attentione perpendamus oportet; pulſus enim arteriarum nequaquam negligendus; nec nihili eſt, per quantum tempus perſtitit morbus, in rationem aſſumere, multaque alia.

Inteſtina

* Firſt Lines.

Inteſtina quoque purgari, alvo liquata, debent; hucque conferunt laxantia medicamenta, ore vel ano ingeſta; ut in exiguis quantitatibus ſal. cathart. amar. aut ricini ol. ſaepius adminiſtrata, uſquedum cieatur alvus.

Quae ſudorem promovent, fuerunt inſuper laudata: non autem hic ſudor largus eſſe debet, ſed eliciendus iis medicamentis, quae nec alvum aſtringere, nec calefacere ſolent: inter haec ſunt ipecac. tart. emet. aut vin. antim. adjecto opio; atque in intervallis *Riverii hauſtus ſalinus* non inutilis erit.

Regimen calefaciens, et ſtimulantia, quamvis ob ſtadium frigidum brevius reddendum, forſitan uſurpentur, eximie nocent, ideoque hic rejicienda; praecipue vero ea, quae *emenagoga* nuncupantur.

Vitae

Vitae autem vis in hac, ficut in omni febre putrida, fuftentanda: aër frigidulus nec non auxilio eft; et, ut fupra notatum, munditics praefertim, cujus gratia ftragulae et indufia faepe mutentur oportet valde. Si vomitus laceffat, qualis, fcilicet, a bili nimis abundante oboriri videatur, lenia emetica, et laxantia, ob eum fiftendum, laudata funt. At ifta, quia, utcunque conficiatur, ftimulant, parum conveniunt *; ideoque opii pauxillum, quam primum inflammationis figna ceffarunt, ufurpandum. Potus, aegrae maxime idoneus, habendus, ex

* Equidem Lutetiae in Parifiorum Nofocomio, *Hotel Dieu* dicto, ut affeverarunt homines maxima fide digni, admodum profuit adminiftrare ipecacuanhae grana quindecim; horum videlicet dimidiam partem cum morbus primum adoritur, et reliquam poftea, interjecto fefquihorae intervallo; an figna fuerint mitiora facta, an aliter.

Macbride infuper et Lind, in omnibus, quae contagione inficiunt, febribus, vomitum infigniter prodeffe obfervarunt.

ex iis, quae mitia, refrigerantia, et diluentia ſunt, conſtat; liquorum vero omnium meraciorum aut ardentiorum uſus prohibendus. Si morbus, hac ratione tractatus, ſe in meliora mutandum eſſe pollicetur, ad inteſtinorum conditionem proxime reſpiciendum eſt; iis tonum ſuum redintegrare conandum: atque deinceps aër frigidulus, cortex Peruvianus, et exercitationis ſub coelo ſereno, aliquid ad incommoda penitus ſummovenda ſufficient. At contra, ſi malum, vix ac ne vix, ſe remittit, ſed deteriora minitans quaſi inveteraſcit, et ad putredinem jam feſtinare videtur, ad ſecundum noſtrum conſilium confugiendum eſt, viz. Ut debilitati et putredini inſecuturae obviam eatur.

Ex omnibus, huic morbi ſtadio adnecti ſolitis, maxime inſigne, propter moleſtiam quam infert, eſt diarrhoea vix ſedanda; haec quidem, etiamſi, ineunte febre, non prorſus inutilis, et ideo promovenda; nunc, quia

quia immodica fit, clyſmatis emollientibus, iis quae leniter ſudorem eliciunt, ut etiam opio, et quibuſdam aſtringentibus, praecipue ſi aegrae vires ex proluvie collabuntur, aliquantulum ſiſtenda: aut, humorum vaſa corporis permeantium conditionem corrigendo, aut irritandi facilitatem ſublevando, id, quod inteſtina vexat minus potens, et inquietans, reddere conari fas eſt. Remediis vero ſupradictis rite adjiciatur cortex Peruvianus; qui quidem, ob hunc morbum ſublevandum, magnas laudes adeptus eſt; et merito, quamvis ſubinde defecerit, magni debet haberi.

Epiſpaſtica, recta poſt ſanguinis detractionem impoſita adverſus hoc malum profeciſſe dicta ſunt: iſta vero, nullo modo, niſi quarundam partum dolores amovendo, in hac febre proficere poſſe veriſimile videtur.

Utcunque

Utcunque liquores meraciores, victusque generosus, hoc morbo inchoante, noceant, talia nunc prorsus necessaria fiunt; atque si usque perstat diarrhoea, leniter astringentibus in anum injectis, quibuscum quadraginta vel quinquaginta laudani guttae commiscentur, et, sicut res postulant, iteratis, reprimatur oportet: si autem haec parum commodi praestant, tentare licet, quid efficiet rad. columbo, vel forsitan lig. Campechense, vel quodvis aliud valide adstringens: an vero aliquid commodi proventurum est, si frigida, an spongia, aspergine, an quaviscunque alia ratione admota, aqua, lavetur aegra, quando ingens adest debilitas? certe talis usus, quia cel. noster Profess. Gregory, eum in typho curando non dedignatus est, hic nequaquam nihili habendus. Felicem vero effectum rationum, quas ob hunc morbum summovendum forsitan instituamus, praecipue ex supra recensitis remediis, cito et mature, nec segniter usurpatis, pendere, hic adnotare non erit absonum;

num; etenim ad ea, etiam antequam evidens intermiſſio contigit, noſmet recipiendum eſt; quia poſtea ad lethum morbus adeo feſtinat, quod omnia medicinae auxilia ſpernit. Hinc, quandocunque urget admodum vomitus, at alia ſigna multum augere videtur, *Riverii hauſtus* propinandi ſunt; aut, his parum adjuvantibus, inf. columb. cum tinct. theb. quin, annon proficiet, tentetur nil obſtat; ex iis enim certe ſpes quaedam.

Ad dolores abdominis ſopiendos conferre ſolent catap. emoll. et fomenta; atque vix inutilia erunt epiſpaſtica, camphorata, et rubefacientia, cum opio. Dyſpnoeae autem et tuſſi fere ſemper adverſantur epiſpaſtica inter ſcapulas impoſita, et ſpermaceti ſolutiones. Alia medicamenta, multa et diverſa fuere propoſita; etiam adeo, ut cuique ſigno ſuum remedium non defuiſſe videatur, nullo autem ab iis auxilio, niſi brevi, citoque deſinente, comparato.

Hincque

Hincque puerperarum febris naturam, multoque magis eam tollendi rationem nobis ignotam esse, luculenter patet. Adjiciatur hisce, quod aegra ab hac, eodem modo tractanda est, ac si, a quacunque alia febre convalesceret; sique non cito ad sanitatem redeat, balneum frigidum, aliaque tonica vix non proderunt.

T A N T U M.